Königliches Gymnasium zu Cleve.

Bericht

über

das Schuljahr 1891–92

vom

Direktor

Dr. Helmuth Liesegang.


Hierzu als Beilage eine Abhandlung des kommissar. G.-L. Dr. Ferd. Schröder:

Catulliana.



Cleve 1892.
Druck der Koch'schen Buchdruckerei, Heinr. Stens in Cleve.

1892. Progr. Nr. 427.



Catulliana.

I. Nota est, quam olim Lachmannus protulit, coniectura de Catulli codicis archetypi condicione: fuisse illum codicem 70 paginarum, quarum unaquaeque 30 versus exhiberet. Quam paginarum dinumerationem falsam esse iamdudum homines docti demonstrare sunt conati, ita ut nunc nemo facile sit, qui partes Lachmannianas sequatur. At argumenta, quibus homines illi docti in refutanda coniectura Lachmanni usi sunt, haud scio an non sufficiant ad id quod volunt efficiendum. Velut, qui nuperrime eius rei fecit mentionem, Riesius in editionis praefatione[1]) de coniectura illa nihil dicit nisi haec: „Der Archetypus unserer Handschriften soll nach Lachmann aus 76 Seiten zu je 30 Zeilen bestanden haben. Bergk nahm dagegen 26—28, Westphal 27, Fröhner und Ellis 32, neuerdings Fisch 21 Zeilen auf jeder Seite des Archetypus an. Die Beweise entnahm man jeweils von Textverderbnissen, Auslassungen oder Zusätzen an dem angenommenen Seitenschluss; dass sie nicht zwingend sind, zeigt schon die Mannigfaltigkeit der Resultate. Da Lücken u. s. w. aber nicht nur am Seitenschluss entstehen oder ausgefüllt werden, und namentlich da der Begriff des Archetypus bei diesen Beweisen undeutlich gelassen wird, so kann das Resultat nicht gesichert werden. Praktischen Nutzen hat es ohnehin nicht.“ Quam argumentationem summam rei non tangere apparet. Primum enim nihil refert, num quid ex aliqua re lucremur, dummodo id sciamus, utrum res ipsa vera sit necne. Deinde id demonstrandum erat, non solum Lachmannum erravisse, sed etiam ceterorum, quos Riesius commemorat, hominum doctorum coniecturas falsas esse. Quod cum demonstratum non sit, liceat mihi retractare illam quaestionem et videre, quid de dinumerationibus illis sit statuendum.

Atque, ut de Lachmanno primum loquamur, inductus est, si Hauptii discipuli eius de hac re verbis fides est habenda, in opinionem illam hisce causis. In codicibus legitur c. 87. hoc:

> Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
> Vere, quantum a me Lesbia amata mea es:
> Nulla fides ullo fuit umquam in foedere tanta,
> Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Quos quatuor versus ita ut legimus perfectum carmen esse non posse quivis intellegit. Nam id unum, Catullum amasse aliquando Lesbiam, ad carmen faciendum non sufficit. „Praeparata est, ut Hauptius dicit, sententia magis quam perfecta“, cumque ut ceteris in artibus etiam in poesi contrarium summi sit momenti, requiritur alia sententia priori aliquo modo opposita.

---

[1]) A. Riese: Die Gedichte des Catullus. Leipz. 1884 (p. XXXVII.)

Exspectamus versus, quibus dicatur „noniam eundem amorem intercedere inter Lesbiam et Catullum.“ Corruptum ergo est carmen, deest eius pars altera. Quod cum iam J. J. Scaliger sentiret, quaesivit inter cetera Catulli carmina eos versus, qui olim cum nostro carmine coniuncti, nunc autem infelici casu a loco suo seiuncti essent. Itaque cum c. 87. coniunxit c. 75.:

Nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,
Ut iam nec bene velle queat tibi si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Quibus duabus partibus (c. 87. et 75.) coniunctis, venustissimum et aptissime cohaerens carmen restitutum videbatur, nempe eam ipsam sententiam, quam modo volebamus, quaeque opposita esset quatuor prioribus versibus, inesse in quatuor posterioribus. Totius iam carminis sententia est: „antea te amavi, nunc te propter perfidiam tuam odisse debeo, attamen ab amore meo desistere non possum“.

Sed illud iam reliquum erat, ut probabiliter explicaretur, quomodo factum esset, ut unum illud carmen in codicibus in duas disiungeretur partes. Quare censuit Lachmannus totum poema ita in codice archetypo scriptum fuisse, ut quatuor priores versus essent alicuius paginae ultimi, quatuor posteriores essent primi versus paginae subsequentis. Totum igitur carmen, Lachmannum si sequimur, in duabus erat paginis collocatum ita, ut pars prior in infima pagina, pars posterior in summa pagina esset. Librarius autem neglegenter scribens eam paginam, in qua prior erat pars, omisit et primum descripsit quatuor posteriores versus et deinde totum folium (h. e. duas paginas), in quo erant hi quatuor versus collocati. Quibus duabus paginis descriptis errorem sensit et paginam antea omissam tum descripsit. Itaque cum pars prior in infima pagina esset, pars posterior in summa pagina, factum est, ut ambae carminis partes tribus paginis disiungerentur. In tribus autem his paginis erant 98 versus, ergo in unaquaque pagina versus triginta fuisse necesse est. Restant versus octo, quos in margine fuisse adscriptos censet Lachmannus, id quod ita demonstrat.

In c. 84. leguntur in codicibus versus, qui nunc sunt 3. et 4. post versum 10.: falso, ut nemo negat. Quem in locum ita pervenerunt, ut primo essent in margine adscripti, deinde a librario falso loco in textum restituerentur. Ergo hac in pagina duo versus in margine erant. Restant 6 versus. Carmen 78., quod constat ex versibus 6, falso loco traditum est a codicibus. Legimus enim in codicibus carmina 77. et 78. (ed. Lachm.) ita collocata:

a) 6 versus carminis 77. (Rufe-amicitiae.)
b) 6 versus carminis 78. (Gallus-adulterium.)
c) 4 versus carminis 77. (Sed-anus.)

Insertum igitur est c. 78. in c. 77. post versum sextum, ita ut quatuor reliqui huius carminis versus (Sed-anus) ab eo sint seiuncti. Apparet hoc quoque vitium eodem modo ortum esse, ut 6 illi versus c. 78. olim in margine essent adscripti, deinde autem falso loco insererentur.

Ergo 8 versus in margine codicis erant, iamque restant 30 versus in singulis paginis. Sin autem in his tribus paginis triceni erant versus, fuit in ceteris quoque paginis idem numerus, quia codices eundem semper versuum numerum in singulis paginis habere solent. Ergo si in codicis archetypi unaquaque pagina erant 30 versus, totus Catulli libellus exhibuit 76 paginas 30 versuum. Jam Lachmanni argumenta, quid valeant, videamus.

Dispertit Lachmannus 98 versus, qui inter c. 87. et 75. sunt, ita in tres paginas, ut in unaquaque pagina ponat 30 versus, ceteros 8 adscriptos fuisse putet in margine. Atque primum quidem ita iudicat de c. 84. v. 3. et 4. Et re vera duo hi versus in codicibus nostris falso loco traduntur et fortasse aliquando erant in alicuius codicis margine scripti. Quod quidem minime certum esse facile intellegitur. Certum esset tum demum, si omnes versus, qui nunc falso loco traduntur, olim in margine fuisse sciremus. At hoc, ut per se est ineptum, ne ipse quidem Lachmannus contendit, nam exempli causa c. 30. v. 4. et 5. in carminis fine posuit, neque tamen eos olim in margine codicis fuisse adscriptos affirmat.

Prorsus autem errat Lachmannus, cum putat c. 78. in alicuius codicis margine fuisse. Putat enim, Scaligerum secutus, c. 77. v. 7—10. („Sed nunc id doleo cet.“), qui in codicibus coniunguntur cum c. 78., non cum hoc carmine, sed cum c. 77. esse coniungendos. Errorem autem illum codicum inde esse ortum, quod c. 78. olim in margine fuerit, unde a librario in c. 77. falso esse insertum. Atque primum quidem concedendum est, quatuor hos versus „sed nunc cet.“ cum c. 78. coniungi non posse. Attamen hi versus ne cum c. 77. quidem coniungi possunt. Cuius in carminis 6 versibus accusat Catullus Rufum, quod sibi eripuerit Lesbiam: „Rufe, tu es pestis nostrae amicitiae, nam eripuisti mihi omnia mea“. Si addere voluit poeta inprimis se dolere, quod „purae pura puellae savia comminxit Rufi spurca saliva“, hoc addere non potuit per coniunctionem adversativam „sed“, quia haec altera carminis pars priori opposita esse non potest. Nam Catulli dolor, quod Rufus scelestus basiat Lesbiam, et dolor, quod Lesbia Catullo omnino est erepta inter se opponi non possunt. Ergo hoc „sed“ impedit, quominus duae illae partes coniungantur. Itemque apparere videtur voculam „nunc“ in illis verbis „sed nunc id doleo“ tum demum usurpari potuisse, si in verbis praecedentibus aliquid esset dictum de ratione, quae antea inter Lesbiam et Catullum intercessisset: „antea amor inter nos erat, sed nunc aliter res se habet“. Eiusmodi sententia cum non praecedat, nullo modo intellegitur, quid sibi velit illud „sed nunc id doleo“. Itaque quatuor illi versus propter prima verba cum c. 77. cohaerere non possunt. Quod si ita est, apparet eos in codicibus, ubi ab hoc carmine seiuncti sunt, non falso loco esse scriptos, sequitur c. 78. quoque suo esse loco collocatum. Quam ob rem non est cur putemus c. 78. olim fuisse in margine. Ergo in hac quidem pagina non 30 sed 36 erant versus.

Quae cum ita essent, neque ceteris Lachmanni argumentis plus esset tribuendum,[1]) alii homines docti alias de condicione codicis archetypi coniecturas protulerunt. Velut Bergkius putavit codicem archetypum exhibuisse 26—28, Westphalius 27, Fröhnerus et Ellisius 32 versus, id quod coniecerunt ex corruptelis, quas scribae nostris in codicibus describendis admiserant. Pleitnerus[2]) vero censuit errores codicum nostrorum non ex uno manasse archetypo, sed complurium archetyporum vitia in eis, qui adhuc exstant, codicibus inveniri. Itaque conatus est, sagacius quam prudentius, condiciones sex codicum nunc deperditorum explicare et demonstrare, quot illis in codicibus, quos nemo unquam vidit, in singulis paginis fuerint versus. „Die zunächst anzustrebende Paginirung war die jener Handschrift, welche die Gedichte zuletzt noch in der ursprünglichen Aufeinanderfolge hatte. Diese herzustellen bot die anerkannte Zusammengehörigkeit von Gedicht 87 und 75 einen Anhaltspunkt. Nach Mitteilung der Paginirung dieser

[1]) A. Boehme: Quaestt. Catt. (1862.)

[2]) K. Pleitner: Studien zu Catullus. Dillingen 1876. (p. 67.)

Handschrift — ich nenne sie M, weil sie zwischen den älteren und jüngeren Handschriften in der Mitte steht — sollen dann von ihr aus die Veränderungen des Textes durch den Nachweis der Paginirungen auch der ihr vorausgehenden codd. von L bis H hinauf verfolgt werden, nach welchem codex aufwärts keine stoffliche Textveränderung mehr vorhanden war. Die Descendenz von M umfasst die beiden Handschriften N und O; von letzterer stammen alle unsere Handschriften ab. So werde ich denn die Paginirungen von 6 aufeinander folgenden Handschriften nachzuweisen den Versuch machen."

Verumtamen etiam horum hominum doctorum computationes falsae sint necesse est, quia omnes eodem quasi fulciuntur fundamento vitioso. Fundamentum autem dinumerationum illarum idem est, quod Lachmanni fuit, duorum carminum seiunctorum coniunctio in unum carmen, „die anerkannte Zusammengehörigkeit von Gedicht 87 und 75."[1]) Ergo si demonstrari potest, c. 87. et 75. coniungi non posse, omnia illa labuntur, quae ex illa coniunctione concluduntur.

Atque primum quidem mihi concedendum videtur c. 87. „Nulla potest mulier cet." esse fragmentum. Ut iam supra dixi, id unum, quod Catullus dicit amasse se aliquando Lesbiam, ad carmen faciendum non sufficit, sed requiritur alia sententia priori aliquo modo opposita. Quae altera carminis pars desideratur. At longe alia est quaestio, num haec amissa carminis pars sit c. 75. Quod si esset, appareret etiam c. 75. esse fragmentum. Quod nego, immo c. 75. ita ut Catullus scripsit, servatum est. Quod primum demonstrant codices, qui exhibent non „nunc est mens diducta," sed „huc est mens deducta". Quibus in verbis offendendum non est: notus est enim usus „huc aliquam rem deducere, ut"; idem est atque si Catullus diceret „eo pervenit meus in te animus, ut". Sin autem codicum scripturam retinemus, apparet c. 75. nullo modo carminis 87. alteram partem esse posse, quia per voculam „huc" duo haec carmina coniungi non possunt. Deinde, si servamus „huc" pro „nunc", in carminis 75. sententia nihil mancum, nihil imperfectum est, ita ut fragmentum nullo modo esse possit. „Perfidia tua, Catullus inquit, factum est, ut iam sis indigna meo amore, itaque officium sit te non amare, sed odisse, at ratio cedat animo, nunquam desistam ab amore." Quid ibi desideramus? quomodo hoc fragmentum esse potest? Revera non magis est fragmentum quam c. 85.:

> Odi et amo. quare id faciam fortasse requiris.
> Nescio, sed fieri sentio et excrucior".

Prorsus eadem est sententia in utroque carmine.

Sed fac in codicibus esse traditum „nunc est mens diducta", c. 75. igitur esse fragmentum, ne ita quidem duae illae partes in unum carmen coniungi possunt ea de causa, quod inter has partes nulla intercedit sententiarum ratio et connexus. Dicit enim Catullus quatuor prioribus (c. 87.) versibus: „antea te, Lesbia, semper amavi". Deinde sequuntur verba: „nunc est mea mens tua culpa diducta cet.", a quibus verbis sine dubio sententiam ordiri necesse est oppositam sententiae priorum versuum. Sed eiusmodi sententiae, quam exspectamus, nihil sequitur, sed Catullus: „Lesbiam, inquit, quamvis perfidam semper amabo". Quinam igitur est connexus inter duas carminis partes? nam toto carmine re vera nihil dicitur nisi, „antea te semper amavi, sed nunc tua culpa factum est, — ut te amare non desistam", id quod ineptum esse nemo negabit.

Ergo c. 75. cum carmine 87. coniungendum non est. Quod si ita est, apparet haec

---

1) Pleitner l. c.

carmina non ita, ut J. J. Scaliger voluit, coniuncta fuisse in archetypo, neque librarium in codice describendo erravisse, neque inde quidquam coniici posse de condicione codicis archetypi. —

II. Partem desideratam carminis 87. aliam esse ac c. 75. demonstrare adhuc, quod sciam, nemo est conatus. Sed fortasse cogitari potest etiam de coniungendo nostro c. 87. cum alio carmine. Primum autem est videndum, quomodo legendum sit c. 87. In editionibus vulgo textus ita est constitutus, ut alloquatur poeta Lesbiam „vere quantum a me Lesbia amata mea's". At praebet V non „mea's" sed „mea'st", quod quominus teneamus nihil impedit, praesertim cum „Lesbia amata mea's" sane inusitata et quaesita allocutionis esset forma. Sin autem codicum scripturam in versu secundo servamus, ad eam nullo modo quadrant, quae versu quarto sequuntur verba, „in amore tuo". Huc accedit, quod haec ipsa verba „in amore tuo" commode explicari non possunt. „Nam si vulgo explicant „amore tui" (= in te) propterea notus hic loquendi usus a nostro loco alienus est, quod inepte et contra cogitandi normas dicitur „ex mea parte in amore adversus te", quasi vero in amore sui etiam Lesbiae fuisset pars aliqua. Facile flagitat communis sensus „in hoc foedere (in communi amore) ex parte mea". Quae cum iure Baehrensius censeret (sunt enim Baehrensii, quae attuli verba), mutavit „tuo" in „illo", quam emendationem facillimam cum Riesio puto recipiendam. Lesbia igitur noniam compellatur, sed dicit poeta ad tertium nescio quem de illa, „quam Catullus unam plus quam se atque suos amavit omnes".

Jam ad alteram illam amissam carminis partem transeundum est et videndum, quid in ea dixisse Catullum ex versibus prioribus concludi possit. Ut enim supra dixi, pars amissa parti servatae aliquo modo opposita fuerit necesse est. Atque cum tota pars prior sit de tempore peracto: „nulla potest dicere tantum se e s s e a m a t a m; nulla fides tanta f u i t", partem posteriorem de tempore praesenti fuisse necesse est; summam igitur carminis hanc fuisse: „antea res ita fuit, nunc aliter est". Deinde, cum dicat Catullus in parte priore se semper Lesbiam amasse, in parte amissa dixerit necesse est, Lesbiam fuisse perfidam et alii se dedisse, ut antea se dedit Catullo. Deinde in parte priore dicitur, Catullum non solum amasse ut vulgus amicam, sed se amasse Lesbiam „vere", fidemque semper se servasse. Significat hisce verbis Catullus sine dubio idem, quod alias verbis „diligere, ut pater diligit gnatos et generos", vel „bene velle",[1]) quae verba opponit verbo „amare". „Es sind die Gegensätze einer wahren, sittlichen, auf Achtung und Verehrung gegründeten Liebe und einer bloss leidenschaftlichen Liebe, der die sittliche Basis fehlt, und die auch da noch möglich ist, wo man nicht mehr achten kann".[2]) Ergo cum Catullus in parte priore suum ipsius amorem verum et sincerum commemoret, fieri non potest, quin huic in parte posteriore oppositus sit alter ille amor, quem dat Venus Meretrix. Itaque puto Catullum verum suum et sincerum in Lesbiam amorem contulisse cum amore et libidine eius, cui nunc Lesbia se dedit. Eaque omnia, quae exposui, cum mecum reputarem, in eam sententiam sum adductus, ut c. 78. b cum carmine 87. coniungerem. Quod carmen fragmentum esse et falso loco traditum facile intellegitur, neque eos, qui antea aliter restituere voluerunt, in errorem esse delapsos negari potest. Mea quidem sententia carmen ita restituendum est:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea'st.
Nulla fides ullo fuit unquam in foedere tanta,

---

[1]) c. 72.

[2]) R. Westphal: Catulls Gedichte. (Breslau 1867) p. 115.

Quanta in amore illo ex parte reperta mea'st.
Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Savia comminxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres, nam te omnia saecla
Noscent et qui sis fama loquetur anus.

Nomen amasii Lesbiae additum non est, id quod alias[1]) quoque fieri solet. Neque tamen obscurum est, quis his versibus compelletur. Catullus enim aemulos suos perstringens suam cuique singularem corporis maculam aspergere solet. „Catull hat für jeden seiner von ihm verhöhnten Rivalen in der Liebe zu Lesbia eine bestimmte Signatur, und zwar immer eine solche, die Abscheu und Ekel erregen soll."[2]) Velut Egnatio exprobrat dentes urina defricatos[3]), Aemilio rictum olentem,[4]) Rufo hircum alarum.[5]) Eadem ratione c. 78. b aemulo cuidam anonymo propter os „spurca saliva" inquinatum illudit. Quaerentibus nobis, quem his verbis significet inimicum, occurrit c. 80., quo propter eandem oris immunditatem Gellio maledicit:

— an vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe est. clamant Victoris rupta miselli
Ilia et emulso labra notata sero.

Conferas quaeso cum his versibus quae leguntur c. 99,10:

Tanquam commictae spurca saliva lupae,

neque dubitabis, quin „spurca saliva" idem significet ac „labra emulso sero notata". Jure igitur c. 78. b eidem Gellio tribuere mihi videor. Gellius autem, id quod nostro loco requiritur, amator Lesbiae fuit, in quem Catullus compluribus acerbissimis carminibus invehitur.[6]) Itaque carmen a nobis restitutum etiam nomine hominis, in quem scriptum est, comprobatur. —

III. In carmine 36., quod est de iocoso Lesbiae voto, legimus versus hos:

(Lesbia) vovit, si sibi restitutus essem
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturam,
Infelicibus ustulanda lignis.
Et hoc pessima se puella vidit
Jocose lepide vovere divis.

Quod votum Lesbiae quo iure vocetur „iocosum" et „lepidum" nondum demonstratum videtur. Adnotant enim homines docti ad versus, quos exscripsi, explicandos fere haec: Lesbiam, versiculis quibusdam Catulli laesam, per iocum votum fecisse, se carmina nescio cuius mali poetae usturam esse, si cum Catullo in amicitiam rediisset. Quapropter Catullum carmine 36. puellae votum solventem annales Volusii igni tradere.

---

1) c. 43; 71; 104.
2) Pleitner l. c. p. 56.
3) c. 37; 39.
4) c. 97.
5) c. 69.
6) c. 74; 80; 88—91; 119.

At iure rogandum est, qui fiat, ut Catullus Lesbiam propter illud votum „puellam pessimam" appellet. Immo laudare debebat puellam, cui carmina pessimi poetae tanto erant odio. Deinde autem, quid omnino illud votum Lesbiae sibi voluisse videtur? Nonne mirandum est, Lesbiam Catulli versibus iratam carmina Volusii vel alius cuiusdam poetae mali comburere velle? Quid enim Volusio cum Lesbia? Profecto ne minima quidem mica salis in tali inesset voto Lesbiae. Prorsus aliter rem se habere necesse est.

Cum Catullus Lesbiam appellet „puellam pessimam", quia adeo infensa sit carminibus „poetae pessimi", poeta pessimus nemo esse potest nisi Catullus ipse. Catullus enim truces iambos vibrando gravem cum Lesbia excitaverat dissensionem. Quod Lesbia maerens iuraverat se, amicitia cum Catullo restituta, causam discordiae, versiculos illos, e medio sublaturam esse, nimirum ne iterum inde inimicitiae orirentur. Appellaverat autem Catullum, ut par fuit, poetam pessimum. Quorum verborum Catullus postea reminiscens votum solvendum esse concessit. Sed poetae vere pessimi carmina urenda existimans tumidos annales Volusii[1]) deo tardipedi tradidit. —

IV. Catulli carmina eum in ordinem, quem nunc in codicibus nostris invenimus, a Catullo ipso redacta esse atque edita, cum vulgo semper sit creditum, non defuerunt homines docti,[2]) qui demonstrare conarentur eum Catullianorum carminum ordinem, qui in codicibus est servatus, non ipsius Catulli esse, sed nescio cui homini docto esse tribuendum. Putant enim Catullum ipsum scripsisse non unum sed complures carminum libellos, a quibus, quae servata sunt, carmina excerpta tantum essent et uno libello collecta. Velut Birtius,[3]) qui hanc quaestionem uberrime tractavit, censet: „Ich glaube, dass von Catull 4 monobibla verschiedenen Inhaltes ausgingen: 1. ein poematorum liber ad Nepotem, 2. das Epyllion Nuptiae Pelei et Thetidis, 3. ein carminum liber, als Miscellanbuch von Gedichten höherer Ordnung, enthaltend 2 Hymenaeen, Plokamos, Attis u. a. 4. ein epigrammatum liber", et putat ex quatuor his libellis, nonnullis carminibus omissis, nostrum libellum, ut aiunt, compilatum esse.

Atque ut cognoscamus, quibus argumentis Birtius opinionem suam fulcire studeat, primum quidem dicit, carmina uno libro coniuncta tam variorum esse generum, ut vix sit credibile talem libellum a poeta ipso esse editum. Multo esse verisimilius hunc Catulli librum nihil esse nisi florilegium, ut ita dicam, ex variis Catulli libellis: „An erster Stelle muss es einem jeden auffallen, dass im ganzen Bereich der antiken Schriftstellerei kein „Buch" angetroffen wird, das aus so ungleichartigen Bestandteilen zusammengesetzt wäre, wie unser Catull. Vielmehr ist für die Sammelbücher in Prosa und Poesie immer in erster Linie dafür gesorgt worden, dass ihre Einzelstücke der Art nach untereinander irgend wie verwandt erscheinen, sodass der Leser ihre Zusammenordnung für nicht zufällig, sondern für motiviert erkennt, sodass eine begriffliche Einheit nicht fehlt, diese sei so äusserlich wie sie wolle." Et deinde: „für eine gleichmässige Grösse der Bestandteile ist überhaupt und in allen Fällen gesorgt worden. Dass Catull also Jamben und sapphische Verse zwischen die Hendekasyllabi stellt, wundert uns nicht; eine Attis, die Hymenaeen und gar ein ganzes Epyllion inmitten solcher körperlosen Gedichtchen sind für die antike Buchgewohnheit etwas Unerhörtes." At hoc

---

[1]) c. 95.

[2]) A. Riese l. c. p. XXXI.

[3]) Birt: das antike Buchwesen p. 291 sq.

argumento, ut omnia illa, quae repetuntur ex analogia, re vera nihil comprobatur, neque aliorum libellorum exempla tantum valere possunt, ut iure affirmari liceat, talem libellum, qualis noster est Catullianus, illis temporibus conscribi non potuisse. Nam quo iure postulemus, ut, si alii poetae hoc vel illud fecerunt, Catullus idem fecerit? Equidem non video, cur Catullo, qui carmina sua „nugas" dicere solebat, non licuerit etiam in eiusmodi rebus, quae ad externum habitum spectant, nugari et ab aliorum consuetudine recedere? Fortasse etiam varietati consulere voluit, cum uno libello varii generis et ambitus carmina coniunxit. Denique iure mireris, quod Birtius censet omnino certi aliquid de „libelli" Romanorum forma posse affirmari, cum perpauci huius generis libri ad nostram pervenerint memoriam, tot alii non sint servati, de quorum forma ac specie ne coniecturam quidem proferre conamur. An Birtius docebit quomodo comparati fuerint libelli Varronis, Laevii, Calvi, Cinnae, Galli? Nonne fieri potuit, ut illorum libelli, nunc deperditi, plane eundem in modum essent conformati ac Catulli? id quod inprimis de libellis amicorum Catulli haud inepte aliquis coniiciat.

Deinde dicit Birtius non omnia, quae Catullus ediderit, nunc esse servata, sed nonnulla corrupta, alia prorsus esse amissa. Et censet haec carmina ab illo compilatore de industria esse praetermissa: „Es resultiert die Gewissheit, dass uns Catull nicht in seiner ursprünglichen Fassung erhalten ist. Jene Ausfälle mag man aus Nachlässigkeit, man wird sie mit mehr Wahrscheinlichkeit aus absichtlicher Weglassung erklären". At fac re vera Catulli carmen hoc vel illud non casu, sed de industria mutilatum vel omissum esse (id quod a Birtio non demonstratum nec mihi quidem verisimile est), tamen non video, quid inde lucrari velit Birtius ad opinionem suam tutandam. Nam si de industria carminum Catullianorum partes omissae viderentur, inde hoc tantum concludi posset, Catulli libellum aliquando descriptum esse ab homine, qui latine sciret, ita ut non religiose ac sine iudicio depingere singula studeret, sed eligeret, quae ei imprimis placebant, alia quae minoris esse putabat omitteret. Praeterea quidquam inde concludi non liceret.

Postremo dicit Birtius carmen primum ad Cornelium Nepotem, cui Catullus libellum suum dedicat, non ad omnia carmina servata, sed ad partem spectare posse.

Primum enim in hoc carmine Catullum dicere, se dedicare Cornelio „libellum" suum: „quoi dono lepidum novum libellum"? Maiorem autem esse Catullianorum carminum numerum, quam qui contineri possit tali volumine, quod vocetur „libellus".[1]) Ergo hoc Catulli carmen non ad omnia nostra, sed ad partem carminum referendum esse, misisse igitur Catullum Cornelio non totum, quem nunc habemus Catullum, sed tale volumen, quod iure possit vocari „libellus". Significat autem vocabulum libelli carminum librum, ut Birtii utar verbis, „libellus ist die kleine Buchrolle und dann vor allem das Gedichtbuch", quamquam monendum est „libellum" interdum quoque usurpari de libro prosa oratione conscripto; velut Plinius de historia sua naturali[2]): „levioris, inquit, operae hos tibi dedicavi libellos". Sed hoc minoris est momenti, fac libellum plerumque id significare, quod Birtius vult, quaeritur num versuum numerus, qui in his carminum

---

[1]) Quam opinionem Riesius quoque (p. XXXI.) amplexus est: „Nach früherer Annahme geschah die Widmung mit dem ganzen uns vorliegenden „Catulli Veronensis liber". Aber es ist bei den antiken Buchverhältnissen unmöglich, eine Summe von beinahe 2300 Versen als ein Buch und gar als „lepidus libellus" zu bezeichnen".

[2]) praef. 12.

libris inerat certus ac definitus fuerit. Atque ex libelli vocabulo ipso sine dubio nihil concludi potest. Nam apparet huius deminutivi vim non certis finibus posse circumscribi, sed libellum in universum esse librum parvum. Ergo nisi ex usu nihil certi demonstrari potest. Sed etiam si ad usum spectamus de „libelli" versuum numero certi quidquam affirmari posse non puto. Nam quomodo hic numerus certus esse potest, cum tam variae sint res in libellis tractatae, poetarum ingenia, consilia? Itaque, ut exemplo utar, Columellae liber X. „de cultu hortorum" exhibet 400 versus, Lucretii „de rer. nat. V." plus quam 1400, Apollonii „Argon. IV" fere 1800. Adeo cum versuum numeri variorum libellorum discrepent, sine dubio dici non potest de versuum numero certam fuisse legem, quae transiri non potuisset. Postremo cum, id quod iam supra monui, tot aliorum poetarum libelli interierint, quorum de numero versuum ne minimum quidem notum est, apparet in Catulli libelli versuum numero offendendum non esse.

Pergit Birtius: in carmine ad Cornelium misso dicere Catullum se Cornelio dedicare velle suas „nugas", et alias se carmina sua vocare „ineptias".[1]) Quibus verbis nisi carmina parva significari non posse, maiora carmina 62—68 neque esse nugas, neque appellavisse ita Catullum ea credibile esse. „Drittens aber sind es gar nugae, sind es ineptiae, die dem Nepos gewidmet werden. Das man für „Possen" und „Bagatell" auch die Elaborate seines sauersten Dichterfleisses nehmen würde, dies hat Catull sich gewiss nicht träumen lassen. Das Prooem Catulls ignoriert, wie jeder sieht, jedenfalls die Gedichte 62—68. So hochbedeutsame Buchbestandteile konnte er aber in Wirklichkeit unmöglich ignorieren, also haben sich dieselben in dem libellus nugarum des Dichters nicht mit befunden."

At fac rectum esse, quod Birtius censet, Catullum dicere se Cornelio suo „nugas" dedicare, primum quidem maximam partem libelli parva illa carmina occupant, quae, ut sunt longe pulcherrima, ita Catullo sine dubio carissima erant, itaque ad ea ut ad partem potiorem spectanti optime de ineptiis suis dicereei licuit. Deinde rectum quidem est, cum de nugis loquatur Catullus, primum nos cogitare de parvis illis carminibus, attamen Catullus etiam non sine modestia quadam hoc vocabulo uti mihi videtur, ita ut etiam ad cetera referatur carmina. Similiter optimi poetae de nugis suis dixerunt, etiam si nos quidem eorum carmina non appellamus nugas. Velut Horatius, aeque ac Birtius de Catullo censet, „apis Matinae more modoque carmina operosa fingere"[2]) sibi videtur et „doctorum hederas praemia frontium"[3]) sibi vindicat, idemque musis renuntians „nunc, inquit, et versus et cetera l u d i c r a pono".[4]) Neque, ut recentiore utar exemplo, ignotum est Goethianum illud epigramma:

„Seh' ich die Werke der Meister an, so seh' ich das, was sie gethan,
Betracht' ich meine Siebensachen, seh' ich, was ich hätt' sollen machen".

Si Goethii ita de nugis suis dicunt, nescio an non esset nimis modestum, si Catullus nugas vocaret carmina illa maiora, „die Elaborate seines sauersten Dichterfleisses."

At omnino non est verum, dicere Catullum in carmine primo se mittere ad Cornelium „nugas", sed dicit „tu es dignus, cui dedicem hunc libellum, quia tu versus meos, etiamsi pessimi erant, nunquam malevole vituperasti, sed dicere solebas eos esse aliquid." Qui ipsa verba legit

---

[1]) 14 b.

[2]) c. 4, 2, 31.

[3]) c. 1, 1, 29.

[4]) ep. 1, 1, 10.

Catulli, facere non potest, quin concedat Catullum non dicere, „mitto tibi nugas, quia nugas meas laudavisti", sed „mitto tibi lepidum novum libellum propter tuam erga me benignitatem, qua nugas meas despicere non solebas"; ceterum qualia carmina in illo libello insint non dicit. Idem etiam rectius affirmari licet de „ineptiis", quae in carmine 14.b commemorantur. Quod carmen quoniam est fragmentum, omnino sciri non potest, quo spectet illud „si qui forte mearum ineptiarum lectores eritis". Sine iusta causa igitur videatur aliquis hisce verbis uti ad aliquam rem seu firmandam seu negandam.

Haec sunt Birtii argumenta, quae accuratius singula perpendenti non dubito, quin nimis videantur levia ad opinionem illam de quatuor Catulli libellis tutandam. Huc accedit, id quod Birtius ipse concedit, quod ne unus quidem veterum, qui Catulli carmina commemorant, de variis Catulli libellis dicit. Commemorant Catulli versus ex galliambis depromptos, ex hendecasyllabis, ex epithalamio, sed nunquam ex primo, secundo, tertio libro.[1]) Itaque, quantumvis Birtii coniectura obiter legenti arrideat, neque desint, quibus ut verissima comprobata sit, tamen acquiescendum esse puto in ea sententia, quam vulgo homines docti sunt secuti, quamque ipsi Catulli comprobant codices. Quamquam igitur id quidem Birtio concedere nemo fere dubitabit, neque totum libellum Catullianum esse servatum, neque partis servatae collocationem esse genuinam, tamen plures edidisse Catullum libellos nisi gravioribus allatis argumentis nobis non persuadebitur.

---

[1]) Schwabe: Catulli Veronensis liber (Berol. 1886) p. VI sq.

F. Schröder.

